



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 25. Concionatori conceditur relaxatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

*Habete in vobis sal, & pacem habete in ser vos.* Marci 9. 49. Sal significat sapientiam. Vult Christus, ut, quæ dicunt Apostoli, paratè explicent, non timore Pharisæo, nec bile hæretica. Velloso in Judith 6. Paræn, 49.

*Canes lingebant ulcera ejus* Luc. 16. 21. In mystico sensu per eos Prædicatores intelliguntur, qui linguâ solantur angustias miserorum. Sim. de Cast. l. 6. c. 12.

*Cum esses sub sicco, vidi te.* Jo. 1. 48. ubi Nathanael convitium Christo dixerat: à Nazareth posesi aliquid boni esse? victus à Magistro pacato Nathanael ait: *Rabbi, tu es filius Dei.* v. 49. Unde tanta vis Christo ad victoriam? Inde collegit omnium scientem Filium Dei esse, qui verbis morsus non remorderet, sed laudaret v. 47. *ecce verè Israelita.* S. Chryl. hom. 29. in Jo. ex quo maximè illum sibi conciliavit; cum eum non reprehendit, sed laudibus profectus est. Velloso in Judith 5. Paræn. 49.

*Habebat in manu sua libellum apertum,* Apoc. 10. 2. *sed iris in capite ejus* v. 1. quæ quidem pacis tessera est. Gen. 9. 13. *arcum meum ponam in nubibus.* Velloso in Judith. 5. Paræn. 49.

*Oportes te iterum prophetare gentibus.* Apoc. 10. 11. Ne tamen tetricus in dicendo Magister esset, sed melle dulcior flueret oratio; librum jussus edit: *& erat in ore meo sanguinem mel dulce.* v. 10. Id. in Judith. 7. Paræn. 7.

Sacerdotes, sicut apes de divinarum flosculis suavia mella conficiunt; & quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt. Rectè comparantur apibus Sacerdotes; quia, sicut apes, castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cælestis exhibent, aculeum legis exercent.

Puri enim ad sanctificationem, suaves ad refectionem, severi sunt ad ultionem. S. Ambr. l. 83.

## §. XXV.

## Concionatori conceditur relaxatio.

*Preparavit Dominus Deus bederam.* Jon. 4. 6. Laboraverat enim: quasi debita sit illa relaxatio, & quies, homini, qui laboraverat. Fernand. in Gen. 8. sect. 5.

*Venite seorsum, - & requiescite pusillum.*

Marci 6. 31. Per hoc Christus D. Ecclesie Doctores, & Pastores, monet; nè externis turbis perpetuò se dedant; sed privatim sæpe, secretòque, agentes animum colligant; eundemque à publicis negotiis, & occupationibus, quantum res patitur, itentidem sevoent. Docet per hæc eadem etiam, in verbi Ministerio defudantes nonnunquam respirare, & interquiescere; seseque, & corpus suum, suo tempore curare, & reficere debere; maximè verò post ministerium absolutum. Vid. Antioch. hic.

Discipuli convenientes ad Jesum, renuntiaverant, quæ egerunt, & docuerunt. Marci 6. 30. Audit Christus id libenter, ac dein ducit illos ad secessum amœnitatis rusticane. *Venite seorsum, & requiescite pusillum.* Theophyl. credit id à Christo institutum: ut sciant Pastores laborantes in verbo, & doctrina, dignos esse, quibus sua detur quies, & non semper intendant laboribus. Quod si laborem piscandi jubet Jo. 21. 6. *mittite in dexteram navigij rete;* ubi imperata fecerunt, mox invitantur ad prandiolum. v. 12. *venite, prandete.* ut benevolè discipulos à labore per cibum refocillet. Sic Euthymius. Velloso in Judith. 3. Paræn. 15. vide hæc plura.

## TITULUS XXIV. CONCORDIA.

## §. I.

*Figure, Symbola, Allegoria.*

*Ex Veteri.*

**S**piritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1. 2. Subcælestes aquæ oportebat, ut congregarentur in unum; proinde, quia *spiritus Dei ferebatur &c.* ut intelligamus: aquas dispositas ad operationem divinam, hominum voluntates; super quibus fertur spiritus voluntatis divinæ, quas in unum jubet congregari divina voluntas; in unum baptisma, in unum corpus Ecclesie, atque Fidei, & virtutis; in unum finem, in unum velle, in unum amorem, in unum Redemptorem omnium Christum. Sim. de Cast. l. 8. c. 37.

In rerum exordio laudavit Deus opera suas Gen. 1. 3. lucem &c. *vidit, quod esset bona.* Et tandem, creatis omnibus rebus, ait sacer textus: *viditq; Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona* v. 31. Ita notat Aug. l. 13. Conf. c. 28. Septies numeravi, scriptum esse, te vidisse, quia bonum est, quod fecisti; & hoc octavum est: quia vidisti omnia, quæ fecisti. Et ecce non solum *bona*, sed etiam *valde bona*, tanquam *simul bona*. An rebus creatis Deus addit novam perfectionem? haud; sed simul quia sunt, valde bona sunt. hoc est: mirabili contentu, & concordia, Universi componebant pulchritudinem. Did. Castillo Illat. 10.

*Divisit ea per medium &c.* Gen. 15. 10. Animalia dividuntur: quia inter malos semper sunt jurgia, & discordia. Quia ubi quilibet qua-